

# ORATIONES

E X

Rosp pf XVIII  
195/4

## CORN. TACITO COLLECTÆ.


*Ad usum Alumnorum Rhetorices.*



T O L O S Æ;

Apud JOANNEM-FRANCISCUM ROBERT;  
Bibliopolam, propè Forum Regium,

## CONTINUATION



# ORATIONES

Ex Cornelio Tacito collectæ.

---

## ORATIO VIBULENI.

Ex Libro primo Annalium.

### ARGUMENTUM.

Neunte Tiberii imperio, Pannonicus Romanorum exercitus gravissimos motus & seditiones concitavit. Tumultuose flagitabat miles missiōnem ad id tempus quod multitudo definiret: stipendia vero liberaliora & remissius in se jūs centurionum. Pro se quisque tumultum angebat: sed præter cæteros Vibulenus ex infima fœce miles gregarius, seditiones & falsas voces jaclavit, quas in oratiunculam hanc conclusit Tacitus. Hic ut ardentem jam imperatoris Blæsi invidiam etiam inflammaret, falsum crimen commentivs, in eum debacchatus est adstante militum furiosa multitudine. Cædem fratris jui, & fratrem ipsum ementitus, in eum conjecit.

VOS quidem, inquit, his innocentibus & miserrimis lucem & spiritum reddidistis: sed quis fratrem mihi reddit? Quem missum ad vos à Ger-

manico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores suos, quos in extium militum habet atque armat. Responde, Blasæ, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturæ invident. Cum osculis, cum lacrymis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum imperfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.

## ORATIO CLEMENT. CENTURIONIS.

Ex eodem Libro.

## ARGUMENTUM.

*Improviso Lunæ defectu sœvientis antea & seditione æstuantis exercitus animi sunt territi. Qua occasione Drusus sibi utendum ad restinguendam seditionem ratus, summisit aliquot sanioris mentis milites, in his Clementem centurionem ad commonendos, injectis de industria sermonibus, milites. Hic passim quum in cœtus aliquos incidisset, conciunculam hanc habebat, qua in furorem tumultuum militum invehebatur.*

**Q**Uousque filium Imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione & Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius & Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? Denique pro Neronibus & Drusis, Imperium populi Romani capebent? Quin potius ut novissimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam sumus? Tarda sunt quæ in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare, statim recipias.

# ORATIO GERMANICI CÆSARIS.

Ex eodem Libro.

## ARGUMENTUM.

*Præerat Germanicus Cæsar duobus exercitibus, qui in Germania propter Rhenum erant. Eorum inferior qui dicebatur, Pannonicum illum imitatus, graviores etiam motus ciere cœpit: dein ad omnem audaciam & furorem prorupit. Causas seditionis prætexuit easdem quas & Pannonicus ille quenç diximus. Sed eadem illa postulabat multo imperiosius, multoque ferocius. Manus à centurionibus, tribunis, legatis, qui à senatu missi erant, non abstinuit: sed vix ab ipso Germanico. Qui uxoretum gravidæ & filio suo metuens, quos in iis castris secum habebat, decrevit eos in Treviros mittere Legiones magnam sibi ignominiae notam inuri, si id fieret, judicarunt. Quamobrem deprecatum ad Germanicum, ne id faceret, venerunt. Hac ille arrepta occasione usus est ad increpandam exercitus amentiam: itaque hac oratione graviter eos objurgat. Facti indignitatem exemplis aliorum & maleficiorum per seditionem hanc perpetratorum commemoratione, demonstrat. Indignos tantis Imperatoribus dicit, quorum auspiciis militarunt.*

*N*on mihi uxor, aut filius, patre & Rep. cariores sunt: sed illum quidem sua maiestas, imperium Romanum cæteri exercitus defendant: conjugem & liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul à furentibus summoveo, ut quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pieui: neve occisus Au-

gusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentes  
vos faciat. Quid enim per hos dies inausum,  
intemeratumve vobis? Quod nomen huic cœnii  
dabo? Militesne appellem? Qui filium Impera-  
toris vestri vallo & armis circumsedistis. An cives?  
quibus tam projecta senatus auctoritas. Hostium  
quoque jus, & sacra legationis, & fas gentium  
rupistis. D. Julius seditionem exercitus verbo uno  
compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum  
ejus detrectabant. D. Augustus vultu & aspectu  
Aetiacas legiones exterruit. Nos, ut nondum eos-  
dem, ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæve miles  
aspernaretur, tamen mirum & indignum erat:  
primane & vicesima legiones, illa signis à Tiberio  
acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta,  
egregiam duci vestro gratiam refertis? Hunc ego  
nuntium patri, læta omnia aliis è provinciis au-  
dienti, feram? Ipsius tirones, ipsius veteranos, non  
missione, non pecuniâ faciatos: hic tantum inter-  
fici centuriones, ejici tribunos, includi legatos:  
infecta sanguine castra, flumina: meque precariam  
animam inter infenos trahere? Cur enim primo  
concionis die ferrum illud, quod pectori meo infi-  
gere parabam, detraxistis, ô improvidi amici!  
melius & amantius ille qui gladium offerebat: ce-  
cidisse certe nondum tot flagitiorum exercitui  
meo conscius: legissetis ducem, qui meam qui-  
dem mortem impunitam fineret, Vari tamen &  
trium legionum ulcisceretur. Neque enim Dii sinant  
ut Belgarum, quanquam offerentium, decus istud  
& claritudo sit, subvenisse Romano nomini, com-  
pressisse Germaniæ populos. Tua, dive Augste,  
cœlo recepta mens; tua, pater Druse, imago,  
tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam  
pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam, iras-

que civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor; si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite à contactu, ac dividite turbidos. Id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

## ORATIO SEGESTIS.

*Ex eodem libro.*

### ARGUMENTUM.

*Chatti erant populi trans Rhenum, vicinos habebant Ubios. In his populis erant potentissimi duo, Arminius & Segestes: ille gener, hic sacer. Sed Segestes in Romanorum fidem se contulerat: Arminius crudelitatem bellum adversus Romanos gesserat, & tres legiones, quibus præerat Varus, ceciderat. Aliquot post annis redintegrato bello à Germanico Cœsare perststit in Romanorum fide Segestes: Arminius inveteratas inimicitias eo bello in Romanos exprompsit, & se ducem Germanis præbuit. Obsessus Segestes à suis popularibus, Romanorum auxilium imploravit, liberatus ad eos confugit. Sed filiam habebat secum, quæ grida erat ex Arminio: & filium qui ancipiæ fide erga Romanos fuerat. Itaque ad Germanicum quum venisset, deprecator fuit non suæ tantum, sed filii & filiæ suæ salutis: sibique auxilium calamitatis, filio erroris veniam, filiæ scelerati mariti impunitatem postulavit.*

**N**on hic mihi primus erga populum Romanum fidei & constantiæ dies: ex quo à D. Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi: neque odio patriæ (quippe proditores, etiam ius quos anteponunt, invisi-

sunt) verum quia Romanis Germanisque idem  
conducere; & pacem, quam bellum probabam.  
Ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœderis ves-  
tri, Arminium, apud Varum, qui tum exercitū  
præsidebat, reum feci. Dilatus segnitiâ ducis, quia  
parum præsidii in legibus erat, ut me, & Arm-  
inium, & conscos vinciret, flagitavi. Testis illa  
nox, mihi utinam potius novissima! Quæ secuta  
sunt, defleri magis, quam defendi possunt. Cœte-  
rum & injeci catenas Arminio, & à fæctione ejus  
injectas percessus sum. Atque ubi primum tui co-  
pia, vetera novis, & quieta turbidis ante habeo:  
neque ob præmium, sed ut me perfidia exsolvam:  
simul genti Germanorum idoneus conciliator, si  
pœnitentiam quam perniciem maluerit. Pro juventa  
& errore filii veniam precor: filiam necessitate  
huc adductam fateor. Tuum erit consultare, utrum  
prævaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex  
me genita est.

## ORATIO M. HORTALI.

Ex Libro II. Annal.

### ARGUMENTUM.

*M. Hortalus erat senator, & nepos Q. Hortensii cla-  
rissimi oratoris, ex nobilissima Hortensiorum fami-  
lia. Sed hic rei familiaris angustia gravissime pre-  
mebatur, ut vix per inopiam ordinem suum obtine-  
re posset. Emerserat antea pene ex summa pauper-  
tate Augusti Cæsaris liberalitate. Acceperat enim  
ab eo satis grandem pecuniam, & jussus erat pro-  
lem suscipere, ne ea stirps interiret. Verum quum  
copiosam sobolem procreasset, non satis se sustentare*

poterat. Itaque quum senatus haberetur, jussis filiis pro foribus curiæ assistere ipse Tiberium Cœsarem rogavit ut se suosque nova liberalitate juvare vellet.

P. C., hos quorum numerum & pueritiam videot, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat: simul majores mei meruerant, ut posteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non studia populi, neque eloquentiam, gentile domus nostræ bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissim, satis habebam, si tenues res meæ nec mihi pudori, nec cuiquam oneri forent. Jussus ab imperatore, uxorem duxi. En stirps & progenies tot consulum, tot dictatorum. Nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero. Adsequuntur florente te, Cæsar, quos dederis honores; interim Q. Hortensii pronepotes, D. Augusti alumnos, ab inopia defende.

## RESPONSIO TIB. CÆSARIS.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

*Respondet ad Hortali illius postulationem Tiberius:*  
Nihil se in ejus inopiam quam prædicet, errogare posse. Causas quamobrem repudiet rogantem, affert has. Intempestivam esse postulationem beneficii in senatu: largitionibus nimis exauriri ærarium: benignitate illa faveri hominum inertiam: multos à principum liberalitate petere suæ paupertatis subsidium: qui si allaborent, non egeant.

S I quantum pauperum est, venire huc, & libris suis petere pecunias cœperint; singuli nūquam exsatiabuntur, Respublica deficiet. Nec sanq-

ideo à majoribus concessum est egredi aliquando relationem , & quod in commune conducat , loco sententiae proferre , ut privata negotia , res familiares nostras hic augeamus ; cum invidia senatus & principum , sive indulserint largitionem , sive abfluerint . Non enim preces sunt istuc , sed effigitatio intempestiva quidem & improvisa , cum aliis de rebus convenerint patres , consurgere , & numero atque ætate liberum suorum urgere modestiam senatus , eandem vim in me transmittere , ac velut prefingere æratium : quod si ambitione exhauserimus , per scelera supplendum erit . Dedit tibi , Hortale , D. Augustus pecuniam , sed non compellatus , nec ea lege ut semper daretur . Languescet alioqui industria , intendetur socordia , si nullus ex se metus aut spes ; & securi omnes aliena subsidia exspectabunt , sibi ignavi , nobis graves .

## ORATIO GERMANICI.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

*Germanicus Cœsar per agrata Ægypto in morbum induit : quo levatus , alio repente fuit correptus , quo graviter conflictatus est , & suberat suspicio oblati à Pisonे præside Syriæ veneni . Desperata valetudine , sic apud amicos , qui tum frequentes aderant , moribundus loquutus est . Rogat ne impune tantum scelus patiantur esse Pisoni & Plancinæ ejus uxori , quæ particeps sceleris credebatur . Rationem pœnorum persequendarum aperit .*

**S**I fato concederem , justus mihi dolor etiam adversus Deos esset , quod me parentibus , liberis , patriæ , intra juventam præmaturo exitu

raperent ; nunc scelere Pisonis & Plancinæ interceptus , ultimas preces pectoribus vestris relinquimus : referatis patri ac fratri , quibus acerbitatibus dilaceratus , quibus insidiis circumventus , miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meæ , si quos propinquus sanguis , etiam quos invidia erga viventem movebat ; in lacrimabunt , quondam florētē , & tot bellorum superstitem , muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum , invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est , prosequi defunctum ignavō questū ; sed quæ voluerit , meminisse ; quæ mandaverit , exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti. Vindicabitis vos , si me potius quam fortunam meam fovebatis. Ostendite pop. Rom. D. Augusti neptem , eandemque conjugem meam : numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit : fingenib[us]que scelestā mandata , aut non credent homines , aut non ignoscēnt.

## ORATIO TIBERII IN SENATU.

Ex Libro III. Annal.

### ARGUMENTUM.

Piso ille , quem diximus in suspicionem venisse p[ro]r[ecti] Germanico veneni , reus illius criminis ab amicis Germanici factus est. Tiberius ejus causæ disceptationem à se ad senatum rejicit. Die constituta causæ dictio[n]is p[ro]fesso sunt accusatores. Ibi Tiberius , in quem multi aliquam ejus cœdis culpam conferebant , eos hortatur ut ad accusandum sincerum & vacuum ab omni cupiditate animum afferrant. Daturum operam ut ne Piso , si certis crimini[bus] teneatur , impunitatem tanti sceleris conse-

*quatur, tantum illi æquitatis vindicandæ studio  
ad causam agendam descendant.*

**D**IE senatūs Cæsar orationem habuit meditat⁹ temperamanto: Patris sui legatum atque amicum Pisonem fuisse, adjutoremque Germanico datum à se, auctore senatu, rebus ad Orientem administrandis. Illic contumaciâ & certaminibus asperasset juvenem, exituque ejus lœtatus esset, an scelere extinxisset, integris animis dijudicandum. Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, ejusdemque morte, & luctu meo lœtatus est; odero, seponamque à domo mea, & privatas inimicitias, non Principis ulciscar. Sin facinus in cuiuscumque mortalium nece vindicandum detegitur; vos vero & liberos Germanici, & nos parentes justis solatiis adficate, simulque illud reputate, turbide & seditiose tractaverit exercitus Piso; quæsita sint per ambitionem studia militum; armis repetita provincia; an falsa hæc in majus vulgaverint accusatores: quorum ego nimiis studiis jure succenso. Nam quo pertinuit nudare corpus, & contrestandum vulgi oculis permettere, differique etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista & scrutanda sunt? Defleo equidem filium meum, semperque deflebo; sed neque reum prohibeo, quominus euncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari, aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit: vosque oro, ne, quia dolori meo causa connexa est, objecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis, aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia & cura valer, juvate periclitantem: ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanicq;

manico super leges præstiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud judices, de morte ejus anquiritur. Cætera pari modestia tractentur. Nemo Drusi lacrymas, nemmo mæsticiam meam spectet, nec si qua in nos adversa finguntur.

## ORATIO SEVERIS CÆCINÆ,

Quâ uxores à Provinciis arceri debere statuit.

### ARGUMENTUM.

*Post missum in Asiam Lepidum, de Africa decretum est, ut Cæsar eligeret cui mandanda foret. Hac occasione Severus Cœcina censens, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, in hunc modum differuit.*

**H**AUD frustra placitum olim, ne fœminæ int̄ socios aut gentes externas traherentur. Inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessūs convertant. Non imbecillum tantum & imparem laboribus sexum; sed si licentia adsit, fæcum, ambitiosum, potestatis avidum: incedere inter milites, habere ad manum centuriones: præsedisse nuper fœminam exercitio cohortium, decursu legionum. Cogitarent ipsi, quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari: his statim adhærestere deterrium quemque provincialium: ab his negotia suscipi, transfigi: duorum egressus coli, duo esse prætoria; pervicacibus magis & impotentibus mulierum jussis, quæ Oppiis quondam aliisque legibus constrictæ, nunc, vinclis exsolutis, domos, fora, jam & exercitus regerent.

ORATIO VALERII MESSALINI,  
Quâ Cæcinæ respondet.

## ARGUMENTUM.

*Verba Cæcinæ paucorum adsensu auditæ, plures ob-  
turbabant: cum mox Valerius Messalinus, cui pa-  
rens Messala, ineratque imago paternæ secundæ,  
dixit.*

**M**ulta duritiae veterum in melius & laetius muta-  
ta. Neque enim, ut olim, obsideri urbem bellis,  
aut provincias hostilis esse, & pauca fœminarum  
necessitatibus concedi, quæ ne conjugum quidem  
Penates, adeo socios non onerent; cetera promis-  
cua cum marito, nec ullum in eo pacis impedimen-  
tum. Bella plane accinctis obcunda: sed rever-  
tentibus post laborem, quod honestius quam uxori-  
um levamentum? At quasdam in ambitionem aut  
avaritiam prolapsas. Quid? Ipsorum magistratum,  
nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? Non  
tamen ideo neminem in provinciam mitti. Corrup-  
tos sæpe pravitatis uxorum maritos: num ergo  
omnes cœlibes integros? Placuisse quondam Oppias  
leges, sic temporibus Reipub. postulantibus: re-  
missum aliquid postea & mitigatum, quia expedi-  
erit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula  
transferri: nam viri in eo culpam, si fœmina modum  
excedat. Porro ob unius aut alterius imbecil-  
ium animum, male eripi maritis consortia rerum  
secundarum adversarumque. Simul sexum naturâ  
invalidum deserit, & exponi suo luxu, cupidini-  
bus alienis. Vix præsenti custodia manere illæsa  
conjugia: quid fore, si per plures annos in modum  
dissidii oblitterentur? Sic obviam irent iis quæ  
alibi peccarentur, ut flagitorum urbis meminissent.

ORATIO M. LEPIDI IN SENATU.

Ex eodem Libro.

ARGUMENTUM.

*Luterius Priscus, eques Romanus, lugubre carmentum Germanico cecinerat, sed specioso tamen quæsito Germanici demortui nomine. Nam compertum est, in Drusum tum decumbentem conscriptum fuisse carmen, quod majore mercede vellet edere, si is excessisset. Dictæ sunt in eum sententiæ frequentes in senatu, ut id ei fraudi capitali esset. Unus & alter mitioris sententiæ autor fuit, quorum hic est unius oratio. Is erat M. Lepidus qui clementius de eo statuendum censuit, ut bona ejus publicarentur, ipse exilio mulctaretur.*

**S**I, P. C., unum id spectamus, quam nefaria vocare Lutorius Priscus mentem suam & aures hominum polluerit: neque carcer, neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus in eum suffecerint. Sin flagitia & facinora sine modo sunt; suppliciis ac remediis, principis moderatio, majorumque & vestra exempla temperant; & vana à scelestis, dicta à maleficiis differunt: est locus sententiæ, per quam neque huic delictum impune sit, & nos clementiae simul ac severitatis non pœnitentia. Sæpe audiri principem nostrum conquerentem, si quis, sumpta morte, misericordiam ejus prævenisset. Vita Lutorii in integro est, qui neque servatus in periculum Reipub. neque imperfectus in exemplum ibit. Studia illi, ut plena recordiæ, ita inania & fluxa sunt: nec quidquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor, non virorum animis,

sed muliercularum adrepit. Cedat tamen urbe , & bonis amissis , aqua & igni arceatur. Quod perinde censeo , ac si lege majestatis teneretur.

## ORATIO TIBERII AD SENATUM.

Ex Libro IV. Annal.

### ARGUMENTUM

*Drusum Sejanus , homo ambitiosus , veneno necavit . Illiur mortui liberos patrui fidei primum commisit Tiberius : deinde hac oratione senatui commendavit , rogavitque per Augusti & Drusi memoriam , ut eos complecteretur.*

P. C. , hos , *inquit* , orbatos parente , tradidi patruo ipsorum , precatusque sum ( quanquam esset illi propria soboles ) ne secus quam suum sanguinem foveret ac tolleret , sibique & posteris conformaret. Erepto Drufo , preces ad vos converto , Diisque & patria coram obtestor , Augusti proneptos , clarissimis majoribus genitos suscipite , regite , vestram meamque vicem explete. Hi vobis , Nero & Druse , parentum loco. Ita nati estis , ut bona malaque vestra ad Rempub. pertineant.

## DEFENSIO CREMUTII IN SENATU.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

*Cremutius Cordus annales Romanos conscripserat. In iis magnis laudibus ornaverat Brutum & Cassium percussores Julii Cœsaris , quorum invisa erat memoria Cœsaribus , quibus ille imperium , id est , oppressam à se civitatem , quasi hæreditarium prodi-*

derat. Itaque hoc solo nomine postulatus est ille maiestatis. Causa in senatu disceptata est sedente & cognoscente Tiberio. Is ad causam dicendam quum venisset, tametsi salute desperata, hanc tamen pro se defensionem habuit. Probat, tum recentibus, tum ex vetustate repetitis exemplis, nemini fraudi esse capitali in Repub. Romana scribendi licentiam. Aliter coerceri facta, aliter dicta. Quidquid est culpare, id eo levari quod laus illa sit collata in homines jam è vita egressos.

**V**Erba mea, P. C., arguuntur: adeo factorum innocens sum. Sed neque hæc in principem, aut principis parentem, quos lex majestatis amplectitur: Brutum & Cassium laudavisse dicor, quorum res gestas, cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius eloquentia ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret. Neque id amicitia eorum offecit. Scipionem, Afraniū, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam latrones & patricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, saepe ut insignes viros nominat. Asinii Pollio scripta, egregiam eorumdem memoriam tradunt. Messala Corvinus imperatorem suum Cassium prædicabat: & uterque opibusque atque honoribus pervigueret. Marci Ciceronis libro, quo Catonem cælo æquavit, quid aliud dictator Cæsar, quam rescripta oratione, velut apud judices respondit? Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent. Carmina Bibaculi & Catulli, referta contumeliis Cæsarum leguntur. Sed ipse D. Julius, ipse D. Augustus, & tulere ista & reliquere; haud facile dixerim, modera-

tione magis an sapientia. Namque sphaera exolescunt : si irascare , adgnita videntur. Non attingo Græcos , quorum non modo libertas , etiam libido impunita : aut si quis advertit , dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum , & sine obtrectori fuit , prodere de iis quos mors odio aut gratia exemis- set. Num cum armatis Cassio & Bruto ac Philip- penses campos obtinentibus , belli civilis causâ , populum per conciones incendo ? An illi quidem septuagesimum ante annum perempti , quo modo imaginibus suis noscuntur , quas ne victor qui- dem abolevit ; sic partem memoriae apud scripto- res retinent ? Siuum cuique decus posteritas repen- dit. Nec deerunt , si damnatio ingruit , qui non modo Cassii & Bruti , sed etiam mei meminerint.

## ORATIO TIBERII IN SENATU.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

**O**ppressa libertate , omnes provinciae in assentationem Cæsarum consenserant : & certatim eos honoribus quam amplissimis afficiebant. Itaque Hispania ulterior delubrum Tiberio & matri ejus consecrare de- crevit , & de eo honore legationem Romam misit. Ti- berius etsi alienum non putabat à potentia sua con- tituenda , si honoribus quam maximis circumflue- ret , tamen ne sibi majorem constaret invidiam , hunc honorem repudiavit: causamque cur id faceret , exposuit in senatu. Neque enim abs re id eum facere mirabantur homines , quippe quum non ita multo ante eundem honorem offerente Asia , acceperat. Ejus orationis hæc est fere summa ; se , quem in omni vita imitando exprimeret , proposuisse sibi

*Augustum: scire id illum facilitasse: mortalem sortem se agnoscere: immortalitati non posse melius consecrari, quam si honeste acta à se vita in senatus memoria hæreret.*

**S**ic, P. C., constantiam meam à plerisque desideratam, quod Asiae civitatibus nuper idem istud potentibus, non sim adversatus. Ergo & prioris silentii defensionem, & quid in futurum statuerim, simul aperiam. Quum D. Augustus fibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset; qui omnia facta dictaque ejus vice legis observem, placitum jam exemplum promptius sequutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adjungebatur. Cæterum ut semel recepisse veniam habuerit; ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum: & vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur. Ego me, P. C., mortalem esse, & hominum officia fungi, fatisque habere, si locum principem impleam, & vos testor, & meminisse posteros volo. Qui satis superque memoriam meæ tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offenditionum pro utilitate publica non pavidum credant. Hæc mihi in animis vestrīs templa, hæc pulcherrimæ effigies, & mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur. Proinde socios, cives & Deos ipsos precor: hos, ut mihi ad finem usque vitæ quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duint; illos, ut, quandocumque concessero, cum laude & bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur.

## ORATIO TIBERII.

Ex eodem Libro.

## ARGUMENTUM.

**A**mbibat nuptias Liviæ, quæ C. Cæsari, & post eum Druso collocata fuerat, Sejanus, homo equestri loco ortus. Qui, qua magna erat apud Tiberium gratia, per eum confici posse negotium putavit: eumque hac de re rogavit. Tiberius, qui Cæsarum splendore indignum hoc matrimonium judicabat, ei dissuadet: atque in eam sententiam hæc cum eo loquitur. Monet ut invidiam fugiat, quæ haud dubie erat inde exoritura, si hic in tantum honorum gradum homo obscurus proiectus esset. Illud quoque verendum esse, ut Liviæ parum hæc conditio cordi sit. Exemplum Augusti refellit, quo erat usus Sejanus.

**A**d ea Tiberius, laudata pietate Sejani, suisque in eum beneficiis modice percusis, quum tempus tanquam ad integrum consultationem petivisset, adjunxit: Cæteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: principium diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda, ideo se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu: posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet: esse illi matrem & aviam, propiora consilia. Simplicius actuorum. De inimicitiis primum Agrippinæ: quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviæ, velut in partes, domum Cæsarum distraxisset. Sic quoque erumpere œmulationem fœminarum, eaque discordia nepotes suos convelli. Quid si intendatur certamen tali conjugio? Falleris enim, Sejane, si te mansurum in

eodem ordine putas, & Liviam quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat. Ego ut finam, credisne passuros, qui fratrem ejus, qui patrem majoresque nostros, in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus & primores, qui, te invito, perrumpunt, omnibusque de rebus consulunt, excessisse jam pridem equestre fastigium, longeque anteisse patris mei amicitias, non occulti ferunt, perque invidiam tui, me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si quum in omnis curas distraheretur, immensumque attolli provideret, quem conjunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium, & quosdam in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis Reip. negotiis permixtos. Sed si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est, quod Marco Agrippæ, mox mihi collocavit? Atque ego hæc, pro amicitia, non occultavi: cæterum neque tuis, neque Liviæ destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omnitem ad præsens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istæ, tuusque in me animus mereantur; datoque tempore, vel in senatu, vel in concione, non reticebo.

## ORATIO M. TERENTII,

### EQUITIS ROM.

### Ex Libro VI. Annal.

#### ARGUMENTUM.

*Ælius Sejanus eques Roman. ex tenui conditione ad magnas opes pervenerat, maxime per Liviæ nup-*

tias : sed abusus erat potentia ad multorum perniciem , & adversus imperatorem insidias. Itaque gravissima accusatione ad vitæ exitum vocatus est. Quo mortuo , multis fraudi fuit illius amicitia ; unde factum est , ut pro se quisque illam abjuraret , invidiamque à se depelleret. M. Terentius eques Rom. , eam , laborantiibus & tacentibus multis qui in eadem causa erant , ingenue confessus est , factumque suum , non Sejanum ipsum , defendit. Ejus igitur hæc in senatu oratio fuit , qua docet caruisse crimine suam primam cum Sejano conjunctionem : quia nulla dum scelerata consilia ejus , aut comperta jam , aut in hominum suspicione , erant.

**F**ortunæ quidem meæ fortasse minus expediatur adgnoscere crimen , quam abnuere. Sed utcumque casura res est ; fatebor & fuisse me Sejano amicum , & ut essem expertissime , & postquam adeptus eram , lætatum. Videram collegam patris , regendis prætoriis cohortibus , mox urbis & militum munia simul obeuntem. Illius propinqui & adfines honoribus augebantur ; ut quisque Sejano intimus ita ad Cæsaris amicitiam validus : contra quibus infensus esset , metu ac fôrdibus conflicabantur. Nec quemquam exemplo adsumo : cunctos , qui novissimi consilii expertes fuimus , meo unius discrimine defendam. Non enim Sejanum Vulsinensem , sed Claudiæ & Juliæ domus partem , quas adfinitate occupaverat , tuum , Cæsar , generum , tui consulatus socium , tua officia in Repub. capessentem colebamus. Non est nostrum aestimare , quem supra cæteros , & quibus suis extollas. Tibi sumnum rerum judicium dedere : nobis obsequii gloria relicta est. mus porro , quæ coram habentur , cui ex t

honores, quis plurima juvandi nocendive potentia. Quæ Sejano fuisse, nemo negaverit. Abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, inlicitum, anceps: nec ideo assequare. Ne, P. C., ultimum Sejani diem, sed sexdecim annos cogitaveritis. Etiam Satrium atque Pomponium venerabamur: libertis quoque ac janitoribus ejus notescere, pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? Indistincta hæc defensio & promiscua dabitur? Imo justis terminis dividatur. Insidia in Rempub. consilia cædis adversum imperatorem, puniantur: de amicitia & officiis idem finis & te, Cæsar, & nos absolverit.

**ORATIO NERONIS CÆSARIS IN SENATU.**

Ex Libro XI. Annal.

**A R G U M E N T U M.**

Relatum est ad Senatum de explendo senatorum numero. Ambibant eum honorem, simul & alios, primarii Galliæ Comitatæ viri: de quibus legendis quum ageretur in senatu, bona pars patrum summo studio reclamavit, & in contrariam sententiam variè differuit. Cæsar Nero respondit hac oratione, qua conatus est probare non esse alienum aut ab incolumitate aut à dignitate Reip. honores civitatis ad peregrinos deferri. Nititur potissimum exemplis ab antiquitate civitatis repetitis, qui peregrini ad honores aspirassent. Quos enumerat non paucos, tum singulos homines, tum populos universos, qui in civitatem adscripsi essent: quos tamen habuisse cives, & honores in eos contulisse, pop. Rom. non pœniteret. Antiquissimum quemque patrum fuisse à vicinis populis oriundum quin fuisse usque ex Hispania cooptatos. Exempla

quoque Græcarum civitatum memorat. Ad extre-  
mum refellit quod de ejus rei, si fieret, insolentia  
objiciebatur. Oratio est suaatoria, à jure, consuetu-  
dine, utilitate.

**M**Aiores mei ( quorum antiquissimus Clausus,  
origine Sabina, simul in civitatem Roma-  
nam & in familias patriciorum adscitus est ) hor-  
tantur, uti paribus consiliis Rempub. capessam,  
transferendo huc, quod usquam egregium fuerit.  
Neque enim ignoro, Julios Albâ, Coruncanos  
**Camerio**, Porcios Tuscûlo, &, ne vetera scrute-  
mur, Etruriâ Lucaniâque & omni Italiâ in senatum  
accitos. Postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non  
modo singuli viritim, sed terræ gentesque in no-  
men nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies,  
& adversus externa floruimus, quum Transpadani  
*in civitatem recepti*, quum specie deductarum per  
**orbem terræ legionum**, additis provincialium vali-  
diffimis, fesso imperio subventum est. Num pœ-  
nitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros  
è Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri  
eorum, nec amore in hanc patriam nobis conce-  
dunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Athenien-  
sisbus fuit, quanquam armis pollerent, nisi quod  
victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster  
Romulus tantum sapientiâ valuit, ut plerosque po-  
pulos eodem die hostes, dein cives habuerit. Ad-  
venæ in nos regnaverunt. Libertinorum filii ma-  
gistratus mandari, non, ut plerique falluntur, re-  
pens, sed priori populo factitatum est. At cum  
Senonibus pugnavimus; scilicet Volsci & Æqui,  
numquam adversam nobis aciem instruxere. Capti  
Gallis sumus: sed & Tuscis obsides dedimus, &  
Samnitium jugum subivimus. Attamen si cuncta  
bella

bella recenseas , nullum breviore spatio , quam ad-  
versus Gallos , consercum. Continua inde ac fida pax.  
Jam moribus , artibus , affinitatibus nostris mixti ,  
aurum & opes suas inferant potius , quam separati  
habeant. Omnia , P. C. , que nunc vetusissima  
creduntur , nova fuere. Plebeii magistratus  
post patricios ; Latini post plebeios ; ceterarum  
Italiæ gentium post Latinos. Inveterascet hoc  
quoque ; & quod hodie exemplis tuemur , inter  
exempla erit.

## ORATIO C. CASSII.

Ex Libro XIV. Annal.

### ARGUMENTUM.

Pedanius secundus , præfectus urbis , servi sui insi-  
diis domi oppressus est. Re comperta , non de percus-  
sore modo , sed etiam de universa familia quæ erat  
ad quadragintos servos , supplicium sumi oporten-  
bat. Sic enim more majorum erat comparatum , ut  
si quod ejusmodi unius intestinum facinus extitif-  
set , conservi omnes pleberentur. Misera servorum  
plebs Romana voluit eos eripere suppicio : sed  
bona pars senatus acriter restituit. Quo in numero  
fuit C. Cassius , qui sententiam rogatus , gravissi-  
me morem majorum defendit. Ejus est hæc oratio ,  
qua & majorum autoritate & ratione ipsa nixus ,  
supplicium in totam familiam decernit. Præfatur  
& constantia sua , in defendendo instituto majo-  
rum. Docet severitate suppliciorum in servos con-  
sulendum esse omnium dominorum saluti. Esse illud  
hominum genus & ab suscipiendo audacia & à  
perpetrati sceleris occultatione deterrendum : vix  
dominum ita paucorum tecto scelere posse interimi &

*quin id aliis innotescat. Postremo satius esse ostendit ut pauci innocentes pœnas liuant, quam ut eorum impunitate sceleratorum alatur audacia. Suas est à jure & necessitate.*

**S**æpe numero, P. C., in hoc ordine interfui, cum contra instituta & leges majorum nova senatus decreta postularentur. Neque sum adversatus. Non quia dubitarem, super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, & quæ converterentur, in deteriorius mutari; sed ne, nimio amore antiqui moris, studium meum extollere viderer. Simil quidquid in nobis autoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando Respub. consiliis equisset. Quod hodie evenit, consulari viro domi suæ interfecto, per insidias serviles, quas nemo prohibuit, aut prodidit, quamvis nondum concusso senatus consulto, quod supplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule impunitatem. At quem dignitas sua defendet, cum præfecturâ urbis non profuerit? Quem numerus servorum tuebitur, quum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? Cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula nostra advertit? An (ut quidam fingere non erubescunt) injurias suas ultus est intersector? Quia de paterna pecunia transegerat, aut avitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus ultro, dominum jure cæsum videri. Libet argumenta conquirere in eo, quod sapientioribus deliberatum est? Sed et si nunc primum statuendum haberemus, creditisne servum interficiendi domini animum insumpsisse, ut non vox minax excideret? Nihil per temeritatem proloqueretur? Sane consilium occulit, telum inter ignaros paravit. Num excubias

transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus nesciis? Multa sceleris indicia præveniunt. Servi si prodant, possimus singuli inter plures, tuti inter anxios: postremo si pereundum sit, non inulti inter nocentes, agere. Suspecta majoribus nostris fuere ingenia servorum, etiam cum in agris aut dominibus iisdem nascerentur, caritatemque dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra, aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris. At quidam insontes peribunt. Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui non sortiuntur? Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.

## ORATIO SÆNECÆ AD CÆSAREM NERONEM.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

Cæsar Nero fuerat educatus & institutus à Seneca, homine bonis artibus eruditio: eumque ipso eo nomine observabat. Sed, ut sunt ineuntis ætatis avidæ cupiditates, nec unquam deficiunt principes pestiferi assentatores, habebat suarum libidinum ministros Nero: in his Tigellinum quemdam, qui rei suæ augendæ gratia voluptuarium hominem vehementius etiam incendebat. Assentatores, quia videbant obstare suis conatibus, tum à Nerone perceptæ disciplinæ reliquias, tum ipsius Senecæ severitatem, hunc sibi ab imperatore summovendum putant. Itaque eum criminan-

*tur apud Neronem. Opes ejus immodicas ostendunt, autoritatem carpunt, dotes animi ( ut eloquentiam ) in deteriorem partem trahunt; præsidia esse potentio interpretantur: gravem esse dicunt Neroni magistri severitatem. Senecam nihil horum fugiebat: Neronem convenit, & hac oratione omnes coniectas calumnias diluit. Beneficia imperatoris & præmia accepta commemorat: iis se usum ad vitæ mediocritatem, non ad fastum, ostendit. Dediisse operam ut Neronem, suæ discipline alumnū, quam optimis præceptis imbueret. Opes nullas quæsisse. Quia nulla sua culpa, sed invidorum malevolentia male audiat, roget ut bona sua alicui tradantur administranda, sibi vero nihil nisi quod ad honeste degendam vitam requiratur, fruendum concedatur.*

**Q**uartusdecimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ admotus sum; octavus ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meæ deficit, nisi moderatio ejus. Utar magnis exemplis, nec meæ fortunæ, sed tuæ. Ab avo tuus Augustus, M. Agrippæ Mitylenense secretum; C. Mæcenate, urbe in ipsa, velut peregrinum otium permisit: quorum alter bellorum focius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud munificentia tuæ adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata; & quibus claritudo venit, quod juventæ tuæ rudimentis affuisse videor? Grande hujus rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra meipse volvam. Ego ne equestri & provinciali loco ortus, proceribus civi-

tatis adnumeror? Inter nobiles, & longa decora  
præferentes, novitas mea enituit? Ubi est animus  
ille modicis contentus? Tales hortos instruit & per  
hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis,  
tam lato fœnore exuberat? Una defensio occurrit,  
quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque  
mensuram implevimus, & tu, quantum princeps  
tribuere amico posset, & ego, quantum amicus à  
principe accipere. Cætera invidiam augent. Quæ  
quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magni-  
tudinem jacent; sed mihi incumbunt: mihi subve-  
niendum est. Quo modo in milita, aut via, fessus  
adminiculum orarem; ita in hoc itinere vitæ,  
fenex, & levissimis quoque curis impar, cum  
opes meas ultra sustinere non possim, præsidium  
peto. Jube eas per procuratores tuos administrari,  
in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem  
ipse detrudam; sed trāditis, quorum fulgore per-  
trāngor, quod temporis hortorum aut villarum curæ  
seponitur, in animum revocabo. Supereft tibi ro-  
bur, & tot per annos nixum fastigii regimen:  
possimus seniores amici quiete respondere. Hoc  
quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa ve-  
xisse, qui & modica tolerarent.

**RESPONSIO NERONIS AD SENECAM.**

Ex eodem Libro.

**ARGUMENTUM.**

*Respondit præceptoris defensioni Nero, singula ab  
illo proposita capita persequens. Institutionis gra-  
tam memoriam testatur. Illius causas afferit, &  
consequuta commoda prædicat, beneficentiam  
suam erga illum extenuat. Invidiæ causas, quæ  
captabantur, removet. Parcius etiam donatus*

illum à se quam pro meritis. Ut vero ipsi bonorum administratione interdicatur, neutri honestum esse ostendit: sibi multo etiam ignominiosius. Pro eo enim habitum iri, ac si beneficia collata reposceret.

**A**Bavus mens Augustus Agrippæ & Mæcenati usurpare otium post labores concessit; sed in ea ipsa ætate, cuius autoritas tueretur, quidquid illud & qualemque tribuisset. Attamen neutrum datis à se præmiis exuit. Bello & periculis meruerant: in his enim juventa Augusti versata est. Nec mihi tela & manus tuæ defuissent, in armis agenti. Sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis pueritiam, dein juventam meam fovisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt. Quæ à me habes, horti, & fœnus, & villa, casibus obnoxia sunt; ac licet multa videantur, plerique haut quaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est, quod præcipuus caritate, nondum omnes fortuna antecellis. Verum & tibi valida ætas, rebusque & fructui rerum sufficiens, & nos prima imperii spatia ingredimur: nisi forte aut te Vitellio ter consuli, aut me Claudio postponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quæsivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin, si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, revocas; ornatumque robur subsidio impensis regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam; nec quies, si reliqueris principem: sed mea avaritia, meæ crudelitatis meatus in ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur; non tamen sapienti viro

decorum fuerit , unde amico infamiam parat , inde gloriā sibi recipere .

## ORATIO PÆTI THRASEÆ.

Ex Libro XV. Annal.

### ARGUMENTUM.

*Funestus fuit immensis suppliciis Neronis principatus : quippe tyrannidem nisi per crudelitatem retineri posse diffidebat . Per ea tempora reus factus est injuriarum Claudius Timarchus Cretensis . Cui irvidiam constavit apud populares præstantia quædam dignitatis , & paulo major potentia : apud senatum vero Romanum dictum quiddam ab eo confidentius ( sic enim ipsi interpretabantur ) in autoritatem Romanorum . Constatbat , dixisse eum , in sua esse potestate ut nullæ agerentur de more gratiæ Cretensi proconsuli . Eum Thrasea hic damnavit sua sententia exilii : dixitque de eadē redeinde copiosius & acerbius , sensuitque ut auctoritas non senatus modo , sed etiam singulorum qui ad obtinendas provincias mittuntur , severitate constitueretur & retineretur . Peregrinorum licentiam esse coercendam , ut jus imperii sacrosanctum conservetur .*

**U**SU probatum est , P.C. , leges egregias , exempla honesta , apud bonos ex delictis aliorum digni . Sic oratorum licentia , Cinciam rogationem ; candidatorum ambitus , Julias leges ; magistratum avaritia , Calpurnia scita , pepererunt . Nam culpa , quam pœna , tempore prior , emendari , quam peccare , posterius est . Ergo adversus novam provincialium superbiam dignum fide constantiaque

Romana capiamus consilium , quo tutelæ sociorum nihil derogetur , nobis opinio decedat , quæ lis quisque habeatur , alibi quam in civium iudicio esse. Olim quidem non modo prætor , aut consul , sed privati etiam mittebantur , qui provincias viserent , & quid de cuiusque obsequio videretur , referrent. Trepidabantque gentes de existimatione singulorum. At nunc colimus externos & adulamur , & quomodo ad nutum alicujus grates , in promptius aëcussatio decernitur : decernaturque , & maneat provincialibus , potentiam suam tali modo ostentandi : sed laus falsa & precibus expressa , perinde cohibeantur , quam malitia , quam crudelitas. Pluta sæpe peccantur , dum demeremur , quam dum offendimus. Quædam imo virtutes odio sunt , severitas obstinata , invictus adversum gratiam animus. Inde initia magistratum nostrorum meliora ferme , & finis inclinat , dum in modum candidatorum suffragia conquirimus , quæ si arceantur , æquabilius atque constantius provinciæ regentur. Nam ut metu repetundarum infracta avaritia est , ita , vetita gratiarum actione , ambitio cohabetur.

## ORATIO CAPITONIS COSSUTIANI

AD NERONEM CÆSAREM.

Ex Libro XVI. Annal.

### ARGUMENTUM.

Nero , quæ erat crudelitate imbutus , cœdem optimi cujusque anhelabat ; & illustrissimis de medio siblatis , sœvire in duos singulari virtute spectato decreverat , Thraseam , Baream Soranum. Habebat administratos suarum cupiditatum pestiferos ho-

mines, paratos ad illius scelera exsequenda: in his Capitonem quemdam Cossutianum, qui suo etiam nomine infensus erat Thraseæ. Is commodum sibi ad ulciscendum inimicum, & ad augendam suam apud Neronem gratiam, offerri ratus, sua sponte incensum animum Neronis in hominem innocentem incitavit, multis invidiose commemoratis, quæ à Thrasea fortiter & severè siebant in improbanda Neronis libidine & importunitate. Criminatur eum callidus tyranni assessor, quod per speciem libertatis defendendæ, Cæsari esset inimicus, ejusque autoritatem atque adeo majestatem minueret.

UT quondam C. Cæsarem, inquit, & M. Catonem, ita nunc te, Nero, & Thraseam avida discordiarum civitas loquitur. Et habet sectatores, vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum vultumque ejus sectantur, rigidi & tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. Huic uni incolumitas tua sine arte, sine honore. Prosperas principis res spernit: etiamne iuctibus & doloribus non satiatur? Ejusdem animi est, Poppæam divam non credere, cuius in acta divi Augusti & divi Julii non jurare. Spernit religiones, abrogat leges: diurna pop. Rom. per provincias, pere exercitus, curatius leguntur, ut noscaratur quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt: aut nova cùpientibus auferatur dux & auctor. Ista secta Tuberones & Favonios, veteri quoque Reip. ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam aggredientur. Frusta Cassium amovisti, si gliscere & vigere Brutorum æmulos passurus es. Denique nihil ipse

de Thrasea scripseris , disceptatorem senatum nobis  
relinque.

## ORATIO GALBÆ IMP. AD PISONEM.

Ex primo Libro Historiarum.

## ARGUMENTUM

*Ingens de sibi cœso Nerone imperium occupavit : sed affecta jam erat ætate , & liberos habebat nullos. Ea re despiciatui erat non invidis tantum , sed etiam vulgo. Itaque statuit vendicare se ab hoc hominum contemptu , adoptato nobili aliquo & honesto adolescenti in spem imperii. Placuit autem illi Piso Licinianus cognomento Frugi , adolescentis ab omni laude perfectus. Hunc sibi adoptione adscivit : exposuitque adolescenti beneficium suum : & de eo iudicium. Cujus sermonis summam complectitur hac oratione Tacitus : qua Pisoni jus omne & causas adoptionis , rationem & consilium suum exponit Galba : beneficii magnitudinem ostendit : & quid vicissim ab eo ipse postulet & exspectet. Hortatur ut hanc de se exspectationem virtute & honestate omni sustineat atque expleat. Illecebras descicendi ab officio , quæ sæpe offerantur , ei aperit. Monet ut se adversus eas munit , integrumque ab omni labore præstet.*

**S**I te privatus , lege curiatâ , apud Pontifices , ut moris est , adoptarem ; & mihi egregium erat tunc , Pompeii & M. Crassi sobolem in penates meos adsciscere ; & tibi insigne , Sulpiciæ ac Lutatiæ decora , nobilitati tuæ adjecisse. Nunc me , deorum hominumque consensu ad imperium vacatum , præclara indoles tua & amor patriæ impulit , ut principatum , de quo majores nostri ar-

mis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram, exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem privignum, in proximo sibi fastigio collocavit. Sed Augustus in domo successorem quæsivit; ego in Reipub., non quia propinquos aut socios belli non habeam; sed neque ipse imperium ambitione accepi, & judicij mei documentum sint, non meæ tantum necessitudines quas tibi postposui, sed & tuæ. Est tibi frater, pari nobilitate, natu major, dignus hac fortuna, nisi tu potior es. Ea ætas tua, quæ cupiditates adolescentiæ jam effugerit: ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti. Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant: quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem constantiæ retinebis; sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum; sua cuique utilitas. Etiam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur; cæteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere principi quod oporteat, multi laboris: assentatio erga principem quemcumque, sine affectu peragitur. Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram à quo Respub. inciperet. Nunc eo necessitatis jampridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Romano possit, quam bonum successorem, nec tua plus juventa, quam bonum principem. Sub Tiberio, & Caïo, & Claudio, unius familiæ quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum

quemque adoptio inveniet. Nam generari & nasci à principibus fortuitum , nec ultra æstimatur : adoptandi judicium integrum ; & si velis eligere , consensu monstratur. Sit ante oculos Nero , quem longa Cæsarum serie timentem , non vindex cum inermi provincia , aut ego cum una legione , sed sua immanitas , sua luxuria cervicibus publicis depulere. Neque erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello , & ab æstimantibus adsciti , cum invidia , quamvis egregii , erimus. Ne tamen territus fueris , si duæ legiones , in hoc concussi orbis motu , nondum quiescunt. Ne ipse quidem ad securas res accessi : & audita adoptione , desinam videri senex , quod nunc mihi unum objicitur. Nero à pessimo quoque semper desiderabitur : mihi ac tibi providendum est , ne etiam à bonis desideretur. Monere diutius , neque temporis hujus ; & impletum est omne consilium , si te bene elegi. Utilissimus quidem ac brevissimus bonarum malorumque rerum delectus est , cogitare quid aut volueris sub alio principe , aut nolueris. Neque enim hic , ut in cæteris gentibus quæ regnantur , certa dominorum domus , & cæteri servi ; sed imperaturus es hominibus qui nec totam servitatem pati possunt , nec totam libertatem.

## ORATIO PISONIS.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

*Quum in dies invalesceret Othonis factio , qui Galbae adversabatur , & occupare imperium cogitabat : Galba vero se gratia & potentia infringeret , ut iam*

jam aperte ab eo populus Romanus deficeret, & ejus adversario imperium traderet, & ut imperatorem crearet, in castra eum raperet, omniaque in civitate tumultuosa gererentur: Piso, quem in spem imperii Galba adoptaverat, stationariam cohortem, quæ in palatio erat præsidii causa collocata, sibi consiliandam & confirmandam putavit, & de consilii sententia hac oratione eam est affatus. Hic militem demulcere & retinere conatur: idcirco imperatoris & suam dignitatem afferit in medium. Cui opponit sordes & intemperantiam Othonis. Agi ipsorum quoque militum salutem, & plurimum eorum interesse quo principe utantur: nee florere eos posse in tanta importunitate aduersiorum.

**S**extus dies agitur, commilitones, ex quo, ignarus futuri, & sive optandum hoc nomen, sive timendum erat, Cæsar adscitus sum: quo domus nostræ, aut Reipub. fato, in vestra manu positum est: non quia meo nomine tristiorum casum paveam, ut qui adversa expertus, cum maxime diccam, ne secunda quidem minus discriminis habere patris, & senatus, & ipsius imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est; aut, quod æque apud bonos miserum est, occidere. Solatum proximi mortis habebamus, incruentam urbem & res sine discordia translatas. Provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modestiæ. Neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. Vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium; etiam quum amicum imperatoris ageret. Habitune & incessu, an illo muliebri ornatu, mereretur imperium? Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste sciæt, do-

nare nesciet. Stupra nunc , & commissationes ,  
 & fœminarum cœtus , volvit animo. Hæc principatus præmia purat , quorum libido ac voluptas penes ipsum sit , rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim unquam imperium , flagitio quæsumum , bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani , me Galba , consentibus vobis , Cæsarem dixit. Si Respubl. & senatus , & populus , vana nomina sunt : vestrâ , commilitones , interest , ne imperatorem pessimi faciant. Legionum seditio adversum duces suos audita est aliquando : vestra fides famaque illæsa ad hunc diem maneat. Et Nero quoque vos destituit , non vos Neronom. Minus xxx. transfugæ & desertores , quos centurionem aut tribunum sibi eligentes nemo ferret , imperium assignabunt ? Admittitis exemplum ? & quiescendo commune crimen facitis ? Transcenderet hæc licentia in provincias : & ad nos scelerum exitus , bellorum ad vos pertinebunt. Nec est plus , quod procæde principis , quam quod innocentibus datur. Sed perinde à nobis donativum ob fidem , quam ab aliis pro facinore accipietis.

## ORATIO OTHONIS AD MILITES.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

Morito Nerone Cæsare , duœ erant Remœfactions de imperatore subrogando ; Galbam alii , alii Othonem nominabant. Galba potitus est imperio , stante adhuc in integro adversario Othone , quem exercitus erat complexus , & ad eum imperium detulerat. Itaque res in summam contentionem est adducta. Sed quum aliquando falsus nuncius interficium

Othonem Romam attulisset, exceptusque esset summo plausu & gratulatione multitudinis & totius populi, qui Galbam tuebatur, cepit vehementius sibi timere Otho. Itaque ut sibi exercitum conciliaret & fidem illius confirmaret, hanc habuit orationem, qua primum commemorat voluntatem & autoritatem exercitus, quā fuerat ab eo creatus & nominatus imperator. Deinde conqueritur injurias, audaciam, crudelitatem, superbiam adversarii. Invehitur in illius fautores. Commune esse periculum, & in eadem eos esse navi ostendit. Postremo ad autoritatem suam retinendam & salutem vindicandam hortatur, & in hostes acuit.

**Q**uis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum: quia nec privatum me vocare sustineo, princeps à vobis nominatus; nec principem, alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, imperatorem populi Romani in castris, an hostem habeatis. Auditio, ut poena mea, & supplicium vestrum simul postulentur? Adeo manifestum est, neque perire nos, neque salvos esse, nisi unā, posse. Et, cuius lenitatis est Galba, jam fortasse promisit: ut qui, nullo exposcente, tot millia innocentissimorum militum trucidaverit. Hortor animum subit, quoties recordor feralem introitum, & hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos juberet, quos deprecantes in fidem accepit. His auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad principatum attulit, nisi occisi Obultronii Sabini, & Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fonteii Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in castris? Quæ usquam

provincia , quæ castra sunt , nisi cruenta & maculata ? Aut , ut ipse prædicat , emendata & correcta ? Nam quæ alii scelera , hic remedia vocat : dum falsis nominibus , severitatem pro fævitia , parcimoniam pro avaritia , supplicia & contumelias vestras , disciplinam appellat . Septem à Neronis fine menses sunt , & jam plus rapuit Icelus , quam quod Polycleti , & Vatinii , & Elii , paraverunt . Minore avaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius , si ipse imperasset . Nunc & subiectos nos habuit , tanquam suos : & viles , ut alienos . Una illa domus sufficit donativo , quod vobis numquam datur , & quotidie exprobratur . Ac ne qua saltem in successore Galbae spes esset , acescit ab exilio , quem tristitia & avaritiæ sui simillimum judicabat . Vidistis , comilitones , notabili tempestate , etiam Deos infasram adoptionem adversantes . Idem senatus , idem populi Romani animus est . Vestra virtus expectatur , apud quos omne honestis consiliis robur , & sine quibus , quamvis egregia , invalida sunt . Non ad bellum vos , nec ad periculum voco , omnium militum arma nobiscum sunt . Nec una cohors tota defendit nunc Galbam , sed detinet . Quum vos adspexerit , quum signum meum acceperit , hoc solum erit certamen , quis mihi plurimum imputet . Nullus cunctationi locus est in eo consilio , quod non potest laudari , nisi peractum .

## ORATIO OTHONIS AD MILITES.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

*Paucis diebus quam rerum potitus erat in Romano imperio Otho Sylvius , paucorum militum errore ,*

quos inanis suspicio insularum terruerat, atro-  
cissima erat in urbe constata de nocte seditio.  
Quæ vis, ut re ipsa pro salute imperatoris sus-  
cepta erat, cuius vita illi metuebant, ita in  
senatum, à quo vim timebant, intendi puta-  
tabatur: vel maxime quod armati impetum  
fecerant in palatium, ubi Otho cùm clarissi-  
mis senatoribus epulabatur. Qui plurimum suā in-  
tereſſe judicans, ut abeſſet ab omni injuria omni-  
que metu senatus, ſeditionem & in præſentia ſedare,  
& poſtridie ſeverius coercere conatus eſt, quum non-  
dum ille ardor penitus deferbuiffet. Convocatam  
igitur multitudinem increpat, ſed lenius, quod  
intelligebat non ad ſuam perniciem, ſed ad incolu-  
mitatem capta eſſe ab illis arma. Docet igitur,  
quanta fit culpa in illo militari motu, levifſima de  
cauſa concitato. Eſſe enim id hominum qui om-  
nium eorum quæ fiunt, velint cauſas noſſe, & ad  
ſe revocare. Jura militum oſtendit, & quanta ab  
illis requiratur modestia. Sanctitatem ſenatus in-  
culcat, quæ hoc furore militari attentata eſt. Do-  
cet, illius incolumitate imperii ſtabilitatem conti-  
neri. Paucos ad pœnam depoſcit, quorum præcipue  
fuerat in eo motu audacia.

**N**EQUE ut affeſtus vestros in amore mei ac-  
cenderem, commilitones, neque ut animum  
ad virtutem cohortarer: utraq[ue] enim egregie  
ſupersunt: ſed veni poſtulatus à vobis tem-  
peramentum veſtræ fortitudinis, & erga me mo-  
dum caritatis. Tumultus proximi initium, non  
cupiditate vel odio (quæ multos exercitus in diſ-  
cordiam egere), ac ne detractione quidem aut  
formidine periculorum, nimia pietas veſtra acrius  
quam-consideratius excitav[er]is. Nam ſæpe honestas

rerum causas , ni judicium adhibeas , perniciosi  
exitus consequuntur. Imus ad bellum. Num omnes  
nuncios palam audiri , omnia consilia cunctis pra-  
sentibus tractari , ratio rerum , aut occasionum  
velocitas patitur : tam nescire quædam milites ,  
quam scire oportet. Ita se ducum autoritas , sic  
rigor disciplinæ habet , ut multa etiam centuriones  
tribunosque tantum juberi expediat. Sicubi jubean-  
tur , querere singulis liceat ; pereunte obsequio ,  
etiam imperium intercidit. An & illic nocte intem-  
pesta rapientur arma ? Unus altetve perditus ac  
temulentus ( neque enim plures consternatione  
proxima insanisse crediderim ) centurionis ac tri-  
buni sanguine manus imbuet ? Imperatoris sui ten-  
torium irrumper ? Vos quidem istud pro me. Sed in-  
discursu ac tenebris , & rerum omnium confusione ,  
patescere occasio etiam aduersus me potest. Si Vi-  
tellio & satellibus ejus eligendi facultas detur ,  
quem nobis animum , quas mentes imprecentur ,  
quid aliud quam seditionem & discordiam opta-  
bunt ? Ne miles centurioni , ne centurio tribuno  
obsequatur. Hinc confusi pedites equitesque , in  
exitium ruamus. Parendo potius , commilitones ,  
quam imperia ducum scifeirando , res militares  
continentur. Et fortissimus in ipso discrimine exer-  
citus est , qui ante discrimen quietissimus. Vobis  
arma & animus sit : mihi consilium & virtutis ves-  
træ regimen relinque. Paucorum culpa fuit ,  
duorum pena erit. Cæteri abolete memoriam  
sædissimæ noctis , nec illas adversus senatum voces  
ullus unquam exercitus audiat. Caput imperii , &  
decora omnium provinciarum , ad poenam vocare ,  
non hercle illi , quos cum maxime Vitellius in nos  
ejet , Germani audeant. Ulline Italæ alumni , &  
Romana vere juventus , ad sanguinem & cædem

depositerent ordinem, cuius splendore & gloria, fortes & obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quamdam exercitus habet: senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc Resp. inde hostes Reipub. constiterint. Quid? Vos pulcherrimam hanc urbem, domibus & tectis & congestu lapidum stare creditis? Muta ista & inanima intercidere ac reparari promiscua sunt: æternitas rerum, & pax gentium, & mea cum vestra salus, incolumente senatus firmatur. Hunc auspicato à parente & conditore urbis nostræ institutum, & à regibus usque ad principes continuum & immortale, sicut à majoribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur.

## ORATIO OTHONIS.

Ex Libro II. Hist.

### ARGUMENTUM.

*Certabant de imperio Otho & Vitellius, ille de retinendo, hic de occupando. Ad manus ventum est. Victoria penes Vitellium fuit, sed ea minime incruenta. Magnam enim cladem eo prælio acceperat. Itaque rogant Othonem sui, ne frangatur animo, nec in rebus adversis contrahatur, sed bellum reparet. Non deesse vires; recentes venire legiones: animos vero nusquam alacriores, modo ne ipse despondeat. Otho qui jam de morte consicenda cogitasset, recusat: & causas, cur nolit uti ad hoc eorum obsequio, affert duas. Unam, quod imperium desperet sibi fore diuturnum; alteram, quod, ne si retineri quidem posse speret, tamen velit civili-*

sanguine & tam fœdis cædibus partium habere. Itaque cedere adversario velle perseverat

**H**unc, inquit, animum, hanc virtutem vestram ultro periculis objicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. Experti invicem sumus, ego ac fortuna. Nec tempus computaveritis. Difficilius est temperare felicitati, quâ te non putes diu usurum. Civile bellum à Vitellio cœpit; & ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit: ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit. Hinc Ortho-nem posteritas æstimet. Fruetur Vitellius fratre, conjuge, liberis: mihi non ultiōne, neque solatiū opus est. Alii diutius imperium tenuerint; nemo tamfortiter reliquerit. An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus, sterni rursus, & Reipub. eripi patiar? Eat hic mecum animus, tamquam perituri pro me fueritis. Sed este superfites, nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. Plura de extremis loqui, pars ignaviæ est. Præcipuum destinationis meæ documentem habete, quod de nomine queror; nam incusare Deos vel homines, ejus est, qui vivere velit.

## ORATIO MUTIANI.

Ex eodem Libro

### ARGUMENTUM.

*Imperabat oppresso Othono Vitellius. Ejus imperium indigne ferebant nobilissimi homines, & ad alium transferri cupiebant: maxime vero Mutianus, ma-*

gni vir nominis, impulit Vespasianum ad deturban-  
dum Vitellium, & invadendum dominatum. Ejus  
consilii summa hac oratione est conclusa. Autor est  
ei, ne tantam labem patiatur imperio Romano inu-  
ri, ut illud ab homine indignissimo & impurissimo  
teneatur. Totæ oratio consistit in causis suscipien-  
dis, & in adjumentis rei perficiendœ. Causas susci-  
piendi affert, turpitudinem qua contaminatum esset  
imperium ab homine sœdissimo: nobilitatem gene-  
ris, splendorem, virtutem in Vespasiano, illustres  
ejus liberos. Imperium Vitellii non tantum ignomi-  
niosum esse, sed etiam illis periculosum. Facul-  
tates vero perficiendi affert, fludum multorum in  
eum, robur legionum firmissimarum.

O Mnes, qui magnarum rerum consilia susci-  
piunt, æstimare debent, an quod inchoatur,  
Reipub. utile, ipsis glriosum, aut promptum ef-  
fectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse, qui  
suadet, considerandus est, adjicatne consilio pe-  
riculum suum; & si fortuna coepitis affuerit, cui  
sumnum decus acquiratur. Ego te, Vespasiane,  
ad imperium voco, tam salutare Reipub. quam  
tibi magnificentum. Juxta Deos, in tua manu pos-  
tum est. Nec speciem adulantis expaveris: à con-  
tumelia, quam à laude proprius fuerit, post Vitel-  
lium eligi. Non adversus divi Augusti acerrimam  
mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senec-  
tutem; nec contra Caii quidem, aut Claudii, vel  
Neronis, fundatam longo imperio domum exsur-  
gimus: cessisti etiam Galbae imaginibus: torpere  
ultra, & polluendam perdendamque Rempub. re-  
linquere, sopor, & ignavia videretur, etiam si  
tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset.  
Abiit jam, & transvectum est tempus, quo posses

videri concupisse. Confugiendum est ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo? Splendidior origine quam nos sumus, fateor: sed & Nero, nobilitate natalium, Vitellium anteibat. Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur. Et posse ab exercitu principem fieri, fibi ipse Vitellius documentum est, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbae odio proiectus. Ne Othonem quidem ducis arte, aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victimum, jam desiderabilem & magnum principem fecit. Cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova quotidie bello semina ministrat. Si quid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis, & comedationibus, & principis imitatione, deteritur. Tibi è Judæa & Syria & Ægypto novem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ: sed firmatus usu miles, & belli domitor externi. Classem, alarum, cohortium robora; & fidissimi reges, & tua ante omnes experientia. Nobis nihil ultra arrogabo, quam ne post Valentem ac Cæcinam numeremur. Ne tamen Micianum socium spreveris, qui amulum non experiris. Me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo juvenes, capax jam imperii alter, & primis militiae annis, apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere imperio ei cuius filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam si vincimus, honorem quem dederis habebo: discrimen, ac pericula, ex æquo partiemur. Imo, ut melius est, tu hos exercitus rege: mihi bellum, & præliorum incerta trade. Acriore hodie disciplinâ victi, quam victores agunt: hos ira, odium, ultionis cupiditas ad vir-

trem accedit ; illi per fastidium & contumaciam  
hebescunt. Aperiet & recludet contesta & tumes-  
centia viðtricium partium vulnera bellum ipsum.  
Nec mihi major in tua vigilantia , parcimonia , sa-  
pientia , fiducia est , quam in Vitellii torpore , ins-  
cītia , sœvitia. Sed & meliorem in bello causam ,  
quam in pace habemus. Nam qui deliberant , des-  
civerunt.

## ORATIO CURTHI MONTANI.

Ex Libro IV. Hist.

### ARGUMENTUM.

*Aquilius Regulus Neroni se ministrum in crudelitate  
præbuerat , & per eum fuerat eversa Crassorum  
& Orphiti , clarorum hominum , domus , quum  
is crimen illorum , cuius tamen particeps fuerat ,  
detulisset. Inde magna erat ei conflata invidia. Et  
quum in alios qui ejusdem crudelitatis fuerant ,  
animadversum esset , hic quoque reus est factus  
ab uxore & liberis Crassi. Sed pro eo dicebat frater  
Visanus Messala : & invidiam deprecando jam  
quodammodo reslinxerat. Ibi Curtius Montanus  
exarsit , & in reum hac oratione vehementissime est in-  
vectus , præstitam tyranno operam exagerans , crude-  
litatem , rapinas , libidinem , vexationem innocen-  
tum , truculentam & funestam vocem ad incitan-  
dam tyranni sœvitiam objiciens. Pestes esse Reipub.  
& semina tyrannidis id genus hominum : ad quæ  
exstirpanda senatum impellit.*

*O*ccurrit truci oratione Curtius Montanus , eo us-  
que progressus , ut , post cœdem Galbae , datam  
interactori Pisonis pecuniam à Regulo appetitumque  
morsu Pisonis caput objectaret. Hoc certe , inquit ,

Nero non coëgit ; nec dignitatem aut salutem illa  
sævitia redemisti. Sane toleremus istorum defensio-  
nes , qui perdere alios quam periclitari ipsi malue-  
runt. Te securum reliquerat exul pater , & di-  
visa inter creditores bona , nondum honorum ca-  
pax ætas : nihis quod ex te concupiseret Nero ,  
nihil quod timeret. Libidine sanguinis & hiatu  
præmiorum , ignotum adhuc ingenium & nullis de-  
fensionibus expertum , cæde nobili imbuisti. Cum  
ex funere Reipublicæ , raptis consularibus spoliis ,  
septuagies seftertio saginatus , & sacerdotio fulgens ,  
innoxios pueros , illustres senes , conspicuas fœmi-  
nas eadem ruina prosterneres : quum segnitiam  
Neronis incusares , quod per singulas domos seque  
& delatores fatigaret : posse universum senatum  
una voce subverti. Retinet , Patres conscripti ,  
& reservate hominem tam expediti consilii , ut  
omnis ætas instructa sit , & quomodo senes nostri  
Marcellum , Crispum , juvenes Regulum imitentur.  
Invenit etiam æmulos infelix nequitia. Quid , si  
floreat vigeatque ? Et quem adhuc quæstorium  
offendere non audemus , prætorium & consularem  
visuri sumus ? An Neronem extremum dominorum  
putatis ? Idem crediderant , qui Tiberio , qui  
Caïo superstites fuerunt ; quum interim intestabili-  
or & sævier exortus est. Non timemus Vespasianum : ea  
principis ætas , ea moderatio : sed  
diutius durant exempla , quam mores. Elangui-  
mus , P. C. , nec jam ille senatus sumus , qui  
occiso Nerone , delatores & ministros , more  
majorum puniendos flagitabat. Optimus est , post  
malum principem , dies primus.

## ORATIO LEGATITENCTERORUM.

Ex eodem Libro.

## ARGUMENTUM.

*Deleto Romanorum exercitu à Germanis, & depulso  
eorum jugo, initum est consilium à Germanis de  
Agrippinensi colonia, quæ in Romanorum im-  
perio permanebat. Excindi eam placebat nonnullis:  
mitius agendum alii censuerunt; satisque habue-  
runt eam ad societatem Germanorum revocare.  
Ea re missa est ab iis legatio, cuius princeps hanc  
orationem in illius coloniæ concilio habuit. Gratu-  
latus est illis libertatem: mandata exposuit Ger-  
manorum de mænibus diruendis, Romanorum re-  
liquiis tollendis, & eorum bonis publicandis, vec-  
tigalibus abrogandis, quæ penitabant Romanis,  
de commerciis secum communicandis, de institutis  
Germaniæ restituendis.*

*R*editte vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis, sed præcipuo Deorum Marti grates agimus: vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem, flumina ac terras, & cœlum quodammodo ipsum, clauserant Romani: ut colloquia con-gressusque nostros arcerent; vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi, sub custode & pretio coiremus. Sed ut amicitia societasque nostra in æternum rata fint, postulamus à vobis, muros coloniæ, munimenta servitii, detrahatis. Etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur. Romanos omnes, in finibus vestris trucidetis. Haud facile libertas,

& domini miscentur. Bona intersectorum in medium cedant, ne quis oculere quidquam, aut segregare causam suam possit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim majoribus nostris. Quomodo lucem diemque omnibus hominibus; ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent. Sincerus & integer, & servitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperitabitis.

## ORATIO AGRIPPINENSIO.

Ex eodem Libro.

### ARGUMENTUM.

*Respondent legatis Tendelerorum Agrippinenses, anticipati sententia inter metum Germanorum & Romanorum. Itaque eorum quæ illi edixerant, nonnulla concedunt, alia excusant. In muris opponunt securitatem: in Romanorum caedibus faciendis, conjunctionem & vetustatem, & jus consanguinitatis. De vecligalibus, commerciis & institutis, legatis, quæ proposuerant, assentiuntur.*

**Q**UÆ prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus, ut vobis certisque Germanis consanguineis nostris jungemur. Muros civitatis, congregantibus se quum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quam diruere, tutius est. Si qui ex Italia aut provinciis alienigenæ in finibus nostris fuerant, eos bellum absumsit, vel in suas quisque sedes refugere. Deductis olim, & nobiscum per con-

nubium sociatis , quiq[ue] mox provenire , hæc patria est. Nec vos adeo iniquos existimamus , ut interfici à nobis parentes , fratres , liberos nostros velitis. Vectigal & onera commerciorum resolvimus. Sint transitus incustoditi , sed diurni & inermes : donec nova & recentia jura in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem & Valedam , apud quos pacta sanctentur.

## ORATIO CERIALIS.

Ex eodem Libro.

## ARGUMENTUM.

*Bellum gerebat adversus Germanos exercitus Romanus nomine & Auspiciis Vespasiani Cæsar s. Hujus belli summa penes Petilum Ceriale erat. Desciverant autem ab imperatore legiones aliquot ex Gallis conscriptæ , seque ad hostes contulerant , quorum erant duces Civilis , Clæscus & Tutor. Re bene à Ceriali gesta , quamvis debellatum nondum erat , male tamen agebatur cum hostibus. In perfidos & desertores ut animadverteretur , plerique urgebant. Lenius tamen Treviros , qui ab hostibus fuerant , accepit Cerialis. Accitæ deinde sunt legiones illæ. Eas magnus supplicii terror invaserat , sed nihil in eas statuendum sibi gravius putavit Cerialis , deditque facti impunitatem. Verum haec oratione cohortatus est eas ad fidem in Cæsarem constantius imposterum colendam. Belli causas repetiit , ostendit justas , necessarias , summa æquitate nixas. Æquitatem & clementiam imperii inculcavit. Officij commonescit , ut parerent imperio Romano , quod san-*

*luitare sibi esse intelligerent: quippe in fide essent  
& tutela Romanorum.*

**N**EQUE ego unquam facundiam exercui; & populi Romani virtutem armis affirmavi. Sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non suâ naturâ, sed vocibus seditionum æstimantur; statui pauca differere, quæ profligato bello, utilius sit vobis audisse, quam nobis dixisse. Terram vestram, cæterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani, nulla cupidine, sed majoribus vestris invocantibus, quos discordiæ usque ad exitium fatigabant, & acciti auxilio Germani, sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. Quot præliis adversus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus, quo eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur: sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. An vos cariores Civili Batavisque & Tranfrhenanis gentibus creditis, quam majoribus eorum patres avique vestri fuerunt? Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia & mutandæ sedis amor: ut relictis paludibus & solitudinibus suis, fœcundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. Cæterum libertas & speciosa nomina prætexuntur. Nec quisquam alienum servitium & dominacionem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparent. Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederetis. Nos quanquam totiens lacesisti, jure victoriae id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine

stipendiis ; neque stipendia sine tributis haberentur queunt. Cætera in communi sita sunt. Ipsi plerumque legionibus nostris præsidetis : ipsi has aliasque provincias regitis. Nihil separatum clausumve. Et laudatorum principum usus ex æquo , quamvis procul agentibus : sævi proximis ingruunt. Quomodo sterilitatem , aut nimios imberes & cætera naturæ mala ; ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt , donec homines : sed neque hæc continua , & meliorum interventu pensantur. Nisi forte , Tutore & Clæsico regnabitibus , moderatius imperium speratis : aut minoribus , quam nunc , tributis parabuntur exercitus , quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulsis ( quod Dii prohibeant ) Romanis , quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent ? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque , compages hæc coaluit : quæ convelli , sine exitio convellen- tium , non potest. Sed vobis maximum discrimen , penes quos aurum & opes , præcipue bellorum causæ. Proinde pacem & urbem , quam victi victoresque eodem jure obtinemus , amate , colite. Moneant vos utriusque fortunæ documenta , ne contumaciam cum pernicie , quam obsequium cum securitate malitis.

## ORATIO CIVILIS , *sed mutilata.*

Ex Libro V. Hist.

### ARGUMENTUM.

*Civilis perfuga à Romanis ducem se Batavis aversus Romanos præbuerat. Bellum diuturnum vario eveniu- tu gesserat , tamen multo pluribus acceptis cladibus quam illatis. Itaque attritis Batavorum viribus ,*

*Cerialis Romanus dux , fletendos sibi potius ad deditio nem subeundam monendo , quam diutius urgendo , duxit . Tentavit , & rem confecit . Convenit inter Batavos ut colloquio dies diceretur . Ad quod quum esset ventum , habuit hanc pro se orationem Civilis , cuius tamen bona pars injuria temporum intercidit . Hic purgandi sui causa , aliqua saltem ex parte , repetit altius causas belli à se primum suscepiti , ut omnes turpis proditionis avertat à se suspiciones .*

**S**i apud Vitellii legatum defenderer , neque factio meo venia , neque dictis fides debebatur . Cuncta inter nos inimica , hostilia , ab illo cæpta , à me aucta erant . Erga Vespasianum vetus mihi observantia : & quum privatus esset , amici vocabamus . Hoc primo Antonio notum , cuius epistolis ad bellum accitus sum , ne Germanicæ legiones & Gallica juventus Alpes transcenderet . Quæ Antonius epistolis , Hordeonius Flaccus præfens monebat , arma in Germania movi , quæ Mucianus in Syria , Aponius in Mœsia , Flavianus in Pannonia .

**EX VITA AGRICOLÆ  
A CORNELIO TACITO PRODITA,  
GALGACI ORATIO.**

**ARGUMENTUM.**

*Intulit bellum Britannis Julius Agricolæ nomine Romani imperatoris . Illi lacefitti ad reslingendum belli incendium magnis animis concurrerunt , ducemque habuerunt nomine Galgacum . Is contractis copiis , cum hoste configendum censuit : sed prius*

animos multititudinis oratione esse firmandos. Itaque convocatam suorum concionem hortatus est ut strenue bellum compescerent. Ejus tota oratio in eo posita est, ut eos & posse & debere hostem propulsare ostendat, defensionem & facilem esse & necessariam. Idcirco belli æquitatem & necessitatem docet. Invehitur in hostium aviditatem. Sua nisi flagitiouse deseriri ab ipsis non posse probat. A servitutē voluntaria subeunda deterret, idque à dominorum superbia & innata genti illi libertate. Comparatione & exemplis multo infirmiorum quorundam probat, libertatem eos posse à servitute & jugo hostium defendere. Remanorum vires extenuat & contemnit. Avita fortitudine proposita, eos dimittit.

**Q**uoties causas belli & necessitatem nostram intueror, magnus mihi animum est, hodieum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & universi servitutis expertes; & nullæ ultra terræ, ac ne mare quidem securum, imminentे nobis classe Romana. Ita prælium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priors pugnæ quibus adversus Romanos variâ fortunâ certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti, nec servientium littora aspicientes, oculos quoque à contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniæ patet; atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus & saxa: & inferiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris. Rap-

tores orbis ; postquam cuncta vastantibus defuerunt  
terræ , & mare scrutantur : si locuples hostis est ,  
avari : si pauper , ambitiosi : quos non oriens , non  
Occidens satiaverit. Soii omnium opes atque ino-  
piam pari affectu concupiscunt : auferre , trucidare ,  
rapere falsis nominibus , imperium ; atque ubi soli-  
tudinem faciunt , pacem appellant. Liberos cuique  
ac propinquos suos natura carissimos esse voluit :  
hi per delectus , alibi servituri , auferuntur. Conjuges  
sororesque eti si hostilem libidinem effugiant , no-  
mine amicorum atque hospitum polluntur. Bona  
fortunasque , in tributum egerunt , in annonam  
frumentum : corpora ipsa ac manus , silvis ac palu-  
dibus emuniendis , verbera inter ac contumelias ,  
*conterunt.* Nata servituti mancipia semel veneunt ,  
atque ultro à dominis aluntur : Britannia servitu-  
tem suam quotidie emit , quotidie pascit. Ac sicut  
in familia recentissimus quisque servorum & con-  
servis ludibrio est : sic in hoc orbis terrarum vetere  
familatu novi nos & viles in excidium petimur.  
Neque enim arva nobis , aut metalla aut portus sunt ,  
quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia  
subjectorum ingrata imperantibus. Et longinquitas  
ac secretum ipsum quo tutius , eo suspectius. Ita  
sublata spe veniae , tandem sumite animum , tam  
quibus salus , quam quibus gloria carissima est.  
Trinobantes , fœmina duce , exurere coloniam , ex-  
pugnare castra , ac nisi felicitas in socordiam ver-  
tisset , exuere jugum potuere : nos integri & indo-  
miti , & libertatem non in præsentia laturi , primo  
statim congressu non ostendamus quos sibi Cale-  
donia viros seposuerit ? An eandem Romanis in  
bello virtutem , quam in pace lasciviam adesse cre-  
ditis ? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari ,  
yitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt :

quem contractum ex diversissimis gentibus , ut se-  
cundæ res tenent , ita adversæ dissolvent , nisi si  
Gallos , & Germanos , & ( pudet dictu ) Britanno-  
rum plerosque , dominationi alienæ sanguinem com-  
modantes , diutius tamen hostes quam servos fide  
& affectu teneri putatis : metus & terror est , in-  
firma vincula caritatis ; quæ ubi removeris , qui  
timere desierint , odisse incipient . Omnia vīctoriæ  
incitamenta pro nobis sunt : nullæ Romanos con-  
juges accidunt : nulli parentes fugam exprobra-  
turi sunt : aut nulla plerisque patria , aut alia est .  
Paucos numeros circum trepidos ignorantiâ , cœlum  
ipsum ac mare & silvas , ignota omnia circum-  
pestantes , clausos quodammodo ac vincitos Dii  
nobis tradiderunt . Ne terreat vanus aspectus , &  
auri fulgor atque argenti , quod neque tegit ne-  
que vulnerat . In ipsa hostium acie inveniemus nos-  
tras manus . Agnoscent Britanni suam causam : re-  
cordabuntur Galli priorem libertatem : deserent  
illos cæteri Germani , tanquam nuper Ufipii reli-  
querunt . Nec quidquam ultra formidinis : vacua  
castella , senum coloniæ , inter male parentes & in-  
juste imperantes , ægra municipia & discordantia .  
Hic dux , hic exercitus : ibi tributa & metalla , &  
cæteræ servientium poenæ : quas in æternum pro-  
ferre , aut statim ulcisci , in hoc campo est . Proinde  
ituri in aciem , & maiores vestros , & posteros  
cogitate .

## ORATIO AGRICOLÆ.

Ibidem.

## ARGUMENTUM.

*Ut suos cohortatione ad pugnam incenderat Galgacuſ , ſic Julius Agricola , dux Romanorum copiarum , metum & cunctationem omnem eripere ſuis cohortando conatur. De belli æquitate hoc tantum dicit , fuiffe aliquot ante annis commotum & gestum ab iisdem illis militibus : nunc idem redintegratum geri. Jubet igitur eos parem animorum præsentiam concipere , quam superioribus præliis aduersus eosdem hostes attulerint. Admonet pristinæ gloriæ , quæ fit illuſtranda virtute , non obruenda ignavia. Reliqua est oratio in dispiciendis hostibus , quorum infirmas vires ostendit : unde exacuendorium animorum facultatem ſumit.*

**O**ctavus annus eſt , commilitones , ex quo virute & auspiciis imperii Romani , fide atque opera veftra Britanniā vicifis. Tot expeditionibus , tot præliis ſeu fortitudine aduersus hostes , ſeu patientia ac labore , pñne aduersus ipsam rerum naturam opus fuit : neque me militum , neque vos ducis poenituit. Ergo egressi , ego veterum legatorum , vos priorum exercituum terminos , finem Britanniæ non fama nec runore , ſed caſtris & armis tenemus. Inventa Britanniā , & ſubacta. Equidem in agmine , quum vos paludes montesve & flumina fatigarent , fortissimi cujusque vocem audiebam. Quando dabirut hostis ; quando acies ? Veniunt à latebris ſuis extrufi. Et vota virtusque

in aperto , omniaque prona victoribus atque eadem  
victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris ,  
silvas evasisse , transisse astuaria , pulchrum ac  
decorum in frontem ; ita fugientibus periculosisima  
quaे hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis  
aut locorum eadem notitia , aut commeatuum ea-  
dem abundantia : sed manus , & arma , & in his  
omnia. Quod ad me attinet , jampridem mihi de-  
cretum est , neque exercitūs neque ducis terga tutā  
essē. Proinde & honesta mōs turpi vita potior ; &  
incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. Nec  
inglorium fuerit , in ipso terrarum ac naturā fine  
cedidisse. Si novae gentes atque ignota acies con-  
stitisset , aliorum exercituum exemplis voshorta-  
rer : nunc vestrā decora recensete , vestros oculos  
interrogate. Ii sunt quos proximo anno , unām  
legionem furto noctis aggressos , clamore debel-  
lastris : ii cæterorum Britannorum fugacissimi , ideo-  
que tamdiu superstites. Quomodo silvas saltusque  
penetrantibus fortissimum quodque animal ro-  
bore , pavidā & inertia ipso agminis sono pelluntur ; sic acerimi Britannorum jampridem cecide-  
runt : reliquus est numerus ignavorum & metuentium. Quos quod tandem invenistis , non restite-  
runt , sed deprehensi sunt novissimi , ideo extremo  
metu corpora defixere in his vestigiis , in quibus  
pulchram & spectabilem victoriam ederetis. Tran-  
sigite cum expeditionibus , imponite quinquaginta  
annis magnum diem , approbate Reipub. nunquam  
exercitui imputari potuisse , aut moras belli , aur  
causas rebellandi.

F I N I S,





